



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd Ioannes episcopus Antiochenus quum quinque dies post aduenisset,  
Cyrillum Alexandrinum episcopum abdicat, & Memnona Ephesinũ, quos  
contra concilium absoluit, & Ioanne vicissim cũ suis loco ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



## EVAGRII HISTORIAE

eum impie et sensisse, et predicasse deprehenderimus, tum ecclesie canonibus, tum epistola sanctissimi patris nostri, et college, Celestini, episcopi ecclesie Romanae, necessario compulsi, idque non sine crebris lachrymis, ad hanc seueram sententiam contra eum pronuntiandam venimus. Itaque dominus noster Iesus Christus, contra que blasphemias loqui non dubitauit Nestorius, per istud sanctum concilium decidit statuitque, eum & Episcopatus dignitate abdicandum, & ab omni conuentu sacerdotum penitus excludendum esse.

*Quod Ioannes episcopus Antiochenus quum quinque dies post aduenisset, Cyrillum Alexandrinum episcopum abdicat, & Memnona Ephesinum, quos contra, concilium absoluit, & Ioannem vicissim cum suis loco mouet, & quomodo Cyrillus & Ioannes scriptis ad utrumque, a Theodosio imperatore literis in gratiam redierint, & Nestorii abdicacionem approbauerunt. Cap. V.*

**P**ost istam autem equissimam iustissimamque pronuntiatam sententiam, Ioannes Antiochie episcopus una cum suis sacerdotibus, quinque dies post abdicacionem Nestorij venit Ephesum: & suis omnibus ibi in unum conuocatis, Cyrillum & Memnonem abdicat. Deinde post libellos a Cyrillo, & Memnone, concilio cum his in unum coacto (licet Socrates rem aliter, utpote eiusdem ignarus, commemoret) oblatos accersitur Ioannes, de abdicacione ab ipso facta responsurus. Qui cum iam ter accitus, minime aduentaret, Cyrillus quidem & Memnon liberantur ab abdicacione, ipse autem sui que sacerdotes a sancta comunione, & omni autoritate sacerdotali amouentur atque ubi Theodosius (qui primo Nestorij abdicacionem minime approbavit, post tamen eius blasphemiam explorate cognita, eidem assensus est) literas admodum pias ad Cyrillum & Ioannem episcopos dederat, illi inter ipsos redeunt in gratiam, abdicacionemque Nestorij ratam faciunt.

De ad-